



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae**

Cvm Variis Indicibus

De Deo Effectore Creaturarvm Omnium. In tres præcipuos Tractatus  
distributa. Quorum primus De Angelis

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiæ, 1621**

XXIX. Vtrum potentia motiua Angeli sit ab intellectu, & voluntate distincta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84413)

*Declaratur  
exemplo.*

tiuum physicam, & executiuam, vt sic dicam, coërtionis, seu coërtionis, quæ non aliter quam prædicto modo inter Angelos intelligi potest. Quod optimo exemplo declaratur, & confirmatur: nam cum anima in statu peccati, & damnanda separatur à corpore, demones violente rapiunt illam, & vsque in infernum mouent, vt est communis traditio Patrum, & Theologorum. Non est autem verifimile id facere demones virtute supernaturali, neque est vllum fundamentum ad similem virtutem fingendam, faciunt ergo illud per naturalem virtutem motiuam, ergo eadem ratione possunt demones hanc virtutem exercere. Inter beatos autem Angelos licet hæc potestas non desit, vsus tamen eius non inuenitur. Tum quia status beatificus omnem modum violentiæ, & imperfectionis excludit: motus autem ab extrinseco in natura viuente, præsertim intellectuali vita, aut violentus est, aut valde imperfectus. Tum etiam, quia Angelus beatus ad nutum alterius mouet, quando alter imperandi potestatem habet, & ideo sola locutio, sine alia extrinseca actione inter sanctos Angelos sufficit, vt etiam ex Apocalypsi, & ex alijs locis colligimus.

9.  
*Declaratur  
exceptio in  
assertione  
adhibita.*

Dixi autem in assertione Angelum habere hanc potestatem mouendi alium, nisi alter fortior sit, & resistat, vt indicarem Angelum perfectiorem posse ex natura rei mouere inferiorem, etiam si renuat, è contrario vero inferiorem posse mouere superiorem, si non resistat, sed permittat, non vero ipso renuente. Et ratio est in promptu, quia à proportionem inæqualitatis non sequitur actio: vis autem Angeli superioris maior est, & ideo, ipso resistente, non potest moueri ab inferiore qui minoris est virtutis. Quia vero illa resistentia voluntaria est, si superior nolit resistere, nihil erit quod motum inferioris impediatur. Et eodem modo sentiendum iudico de Angelis æqualibus, si eiusdem speciei dantur. Imo addunt aliqui quod Cumel sequitur, etiam superiorem Angelum non posse mouere inferiorem ipso renuente. Fundatur, quia virtus motiua Angeli non est, nisi voluntas eius, vnde motio actiua est ipsa volitio, quæ ab ipsa elicitur: non potest autem voluntas pati violentiam in actu elicito, ergo nec in motu.

*Sunt qui ve  
lunt Angelum  
inferiorem  
resistentem  
moueri non  
posse à super  
iori.  
Cumel etiam  
superiorem  
Angelum non  
posse moue  
re inferiorem  
inuitum.  
Eius funda  
mentum.*

10.  
*Resistitur  
multiplici  
ter.*

At vero hæc ratio ex falso principio procedit, statim enim ostendemus potentiam motiuam Angeli esse distinctam à voluntate. Deinde etiam illo principio dato, male infert. Quod à posteriori ostenditur, quia alias neque Deus posset mouere Angelum, cogendo illum contra eius voluntatem, quod est euidenter falsum. Et sequela patet, quia etiam Deus non potest voluntatem cogere ad actum elicitem. Igitur licet voluntas per suum actum elicitem immediate motum efficiat, nihilominus motus nunquam esset actus elicitus à voluntate, sed esset effectus eius, seu actus imperatus, ergo quantum ad Angelum cogatur à superiore agente ad recipiendum motum, non cogetur ad actum elicendum, sed ad recipiendum motum, qui est effectus actus eliciti. Tunc autem Angelus, qui mouetur, non cogitur ad volendum motum, imo ideo cogitur ad ipsum motum, quia non vult illum. Nihil ergo repugnat Angelum inuitum ab alio moueri, ergo supposita maiore efficacia Angeli superioris, poterit mouere inferiorem, ipso inuito. Et hoc confirmant, quæ de motu animæ separatæ à demonibus, & de potestate coërtitiua naturali inter Angelos adduximus. Nostra vero limitatio, seu declaratio intelligenda est solo naturali ordine spectato: nam secundum ordinem gratiæ, & gloriæ potest sanctus Angelus in natura inferiori malum in natura perfectiorem cogere: è contrario vero Angelus malus perfectior non habet agere potestatem in inferiorem secundum naturam, quia virtus gratiæ maior est,

quam naturæ, vt recte D. Thom. docuit in dicta quaestione. 109. per totam.

## C A P V T XXIX.

*Vtrum potentia Angeli ad mouendum res alias sit ab intellectu, & voluntate distincta.*

In hoc puncto prima sententia est, potentiam motiuam Angeli ab eius intellectu, & voluntate non distingui. Ita videtur sentire D. Thomas 1. 2. q. 109. artic. 5. quatenus ait ex viribus animæ non competere Angelis, nisi intellectum, & voluntatem, & idem habet quaestione. 79. artic. 1. ad 3. Possent autem hæc loca de potentia proprie vitalibus, seu actionem immanentem elicentibus exponi. Verumtamen in quaestione. 16. de Malo, artic. 1. ad 14. expresse dicit, Angelum mouere corpora solo imperio voluntatis, & idem habet quodlibet. 6. artic. 2. & Opus. 11. artic. 3. & 13. Et ita hoc sequuntur ex Thomæ sententia 2. distinctio. 14. quaestione. 1. artic. 4. Capreol. in 2. distinctio. 7. quaest. 2. per totam & Sonci. 12. Metaph. quaest. 35. idem sequuntur Durand. in 2. dist. 2. quaest. 5. Argenti. dist. 8. quaest. 1. artic. 1. Bassol. dist. 14. quaestione. 1. Fundamenta huius sententiæ tacta sunt referendo testimonium D. Thomæ.

Primum est, quia natura Angeli est pure intellectualis, ergo tantum habet intellectum, & voluntatem, quæ ad illum sequitur: tantum enim hæc duæ potentie sunt proprie rationales, seu intellectuales, ergo per illas Angelus operatur, quod quid operari potest, quia omnia operatur intellectuater. Secundo quia hæc duæ potentie sufficiunt ad efficiendum motum, ergo Superfluum est aliam multiplicare: quia natura superfluitatem abhorret. Antecedens probatur, quia virtus principalis mouendi est ipsa essentia Angeli, & per intellectum dirigit motum, & per voluntatem potest illum sufficienter exequi. Tertio argumentatur D. Thomas 1. 2. q. 109. artic. 14. quia anima humana solo intellectu, & voluntate mouet corpus sibi vnictum, ergo mirum non est, quod substantia intellectualis aliter possit mouere solo imperio suæ voluntatis corpus non sibi vnictum. Alij verò è contrario argumentantur, quia in anima, quia est inferioris perisectio, & forma corporis distinguitur potentia secundum locum motiua ab intellectu, & voluntate, imo etiam ab appetitu, & phantasia, sicut distinguitur in alijs animalibus, quia non mouent totum corpus suum per se primo, sed impellendo vnã partem mediante alia, ergo in Angelis non est illa distinctio admittenda. Probatur consequentia, tum quia, quæ in inferioribus sunt diuisa, in superioribus sunt vnita: tum etiam quia in homine potentia motiua corporis est materialis, in Angelo autem debet esse spiritualis: tum denique, quia Angelus per se primo mouet corpus, & non vnã partem per aliam, sicut homo.

In explicando autem, quænam sit hæc potentia motiua, an intellectus, vel voluntas, aliquam varietatem inuenio in dictis auctoribus. Nam plures ex illis solum distinctiue loquuntur, dicentes intellectum, vel voluntatem, vel negatiue non esse aliam potentiam ab intellectu, vel voluntate. Ita Capreol. & alij. At vero D. Thomas in dicto Opus. 11. artic. 3. significat intellectum esse potentiam per quam Angeli immediate mouent per eius imperium. Nam ipsa, inquit, conceptio secundum quod habet efficaciam aliquid transmutandi, imperium appellatur. Et artic. 13. ait, Quilibet intellectus mouet per imperium. Imperium autem nihil est aliud, quam conceptio effectus ad implendam voluntatem. At vero idem D. Thom. in dicta quaestione. 16. de Malo, artic. 1. è contrario dicit, quod

substantia intellectualis separata a corpore potest mouere imperio voluntatis aliquod corpus non sibi vntum. Et dicto quod. 6. artic. 2. in argument. sed contra, sic argumentatur. In Angelo non est alia virtus, quam intellectus, & voluntas: intellectus autem non agit, nisi per voluntatem, ergo omnis actio Angeli est per imperium voluntatis. In corpore autem probat minoram, quia motus voluntatis est inclinatio sequens formam intellectam, vnde oportet, quod quicquid Angelus agit, agat per imperium voluntatis. Vnde potest etiam aliquis dicere potentiam motiuam Angeli, non esse vnam simplicem, sed ex intellectu, & voluntate quasi coalescere, & vtranque facultatem immediate influere in motum in suo genere, quia vtriusque operatio necessaria est, & non est sufficiens ratio, cur vna immediate influat, & non alia.

4. Nihilominus est secunda sententia, hanc potentiam motiuam esse distinctam ab intellectu, & voluntate. Hanc opinionem secutus sum in Metaphysica disputat. 35. sect. 6. numer. 21. & sequentibus. quae nunc etiam probabilior videtur. Fuitque opinio Aureoli in dist. 8. question. vnic. artic. 3. & Henric. quod. 13. question. 6. Godfredi (quem citat Capreol.) quod. 1. q. 4. & Mairon. in 1. distinct. 43. question. 5. & eam magis probat Caier. 1. p. quae. 54. artic. 5. & Conimb. in 2. lib. de calo, cap. 5. question. 7. Possumusque in primis suadere hanc sententiam, ex dictis cap. 24. isto modo: Potentia, per quam Angelus immediate mouet alia se, est eadem cum potentia, qua seipsum mouet, sed potentia qua se mouet, est distincta ab intellectu, & voluntate, ergo & potentia per quam alios mouet. Consequentia per se clara est. Maior etiam ab auctoribus praecedentis sententiae non negatur, quia eodem modo ipsi de voluntate, vel intellectu philosophantur, & per se est verisimillima, quia potentia motiua sui, & aliorum, tam ex obiecto, seu effectu, aut termino, quam ex actione, seu modo agendi potest habere vnitatem, & ex gradu suo habet etiam vniuersalitatem, ergo non est cur illae potentiae inter se distinguantur. Adde praeterea licet quis contenderet illas potentias esse inter se distinctas, nihilominus optime inferri si vna est distincta ab intellectu, & voluntate, etiam alteram distingui, quia nulla maior ratio de vna, quam de altera reddi potest. Minor vero in praedicto capite probata est, & omnes rationes ibi factae in praesenti applicari possunt.

5. Praecipue vero verget rationem sumptam ex diuersitate actuum, seu actionum, quia actiua motio localis est actio genere distincta a volitione, sed potentiae distinguuntur per actiones, ergo voluntas, & potentia motiua ad extra sunt potentiae essentialiter diuersae, ergo etiam sunt in re ipsa distinctae. Hanc secundam consequentiam suppono ex generali doctrina de distinctione potentiarum animae, recepta praesertim in schola D. Thomae, & a simili probatur ex distinctione inter intellectum, & voluntatem Angeli, quam non aliunde nisi ex essentiali distinctione actionum colligimus. Respondent aliqui negando priorem consequentiam, quia actio volendi, & mouendi, licet sint distinctae, sunt subordinatae, & ideo non sufficiunt distinguere potentias, quia cum dicuntur potentiae distingui ex actibus, intelligendum est de actibus subordinatis inter se. Sed contra hoc est, quia ibi non est alia subordinatio, nisi actus imperantis, & imperati: haec autem subordinatio non impedit distinctionem potentiarum, quando actiones sunt ita diuersae, vt ex obiectis, vel quasi obiectis primariam distinctionem habeant, vt in illis actionibus inuenitur. Quod ideo dico, quia possunt esse actus subordinati, tanquam imperans, & imperatus, & nihilominus esse eiusdem potentiae, quia saltem in aliquo communi obiecto formali conueniunt, vt est voluntas dandi elemosynam impetrantibus.

6. Alij vero respondent volitionem, & motionem localem actiuam non esse duas actiones, sed vnam, & eandem, quae primario ad vnum terminum intrinsecum, & secundario ad extrinsecum effectum terminatur: quia effectus est passiuus motio localis, ac terminus eius. Et ideo non oportet potentias inde distingui, quia ex actione ipsa interna, quae specificat potentiam, motio externa resultat, non vt actio, sed vt effectus. Sed haec responsio supponit falsam doctrinam. Quia motus localis calis, verbi gratia, non minus est actio transiens, quam sit motus aquae maris, verbi gratia ab ipso caelo motae, & in vniuersum vera passio transiens nunquam separatur ab actione transeunte, quia idem motus, qui est passio, vt recipitur in subiecto, est actio, vt egreditur ab agente: non potest autem fieri motus, quin habeat vtrunque respectum, & praesertim cum loquamur de motu, qui ab extrinseco agente fit, de quo puncto plura in Metaphys. dixi. Et in praesenti causa potest ita declarari. Quia quando voluntas Angeli vult mouere corpus, vnam tantum simplicem actionem elicit, quae est ipsa volitio. Vnde etiam voluntas sine potentia media efficeret motum, non immediate moueret per suam entitatem, sed per actum a se elicitum, quia per se ipsam non est immediate actiua, nisi actus immanens in ipsa. In ipso autem actu volitionis motus, duae rationes possunt considerari, scilicet ratio actionis proxime elicite a voluntate, & ratio qualitatis, seu actus, in factum esse intrinsece terminantis eandem actionem. Sub priori ergo ratione actio illa formaliter esse non potest motio localis actiua, quia non terminatur ad vbi, seu locum, sed tantum ad suum intrinsecum terminum. Quod si dicatur virtualiter transiens, vt aliqui loquuntur, solum erit ratioe sui intrinsece termini, si ille sit principium proximum efficiens motum ad extra. Et ita, consequenter loquendo, in illa sententia ille actus volendi, prout est entitas, & qualitas quaedam, habet vim immediate efficiendi motum ad extra. Ergo consequenter dicendum est in illa sententia ipsum motum corporis, prout immediate fit ab ipso actu voluntatis, esse actionem transeuntem egredientem actiue ab illo actu, & receptam in mobili: tum quia ipse actus internus, vt est qualitas quaedam, non potest habere rationem actionis: tum etiam, quia principium agendi semper distinguitur ab actione.

7. Dices, quidquid sit de illa actione transeunte, etiam illa ponatur, hoc modo sufficienter declarari, quomodo sola voluntas sit sufficiens principium motus localis in corpore mediante suo actu, sine alia potentia media, quia ipsa actus est veluti efficax impetus corpus impellens. Respondeo, ita quidem esse illam sententiam explicandam, vt aliquam verisimilitudinem habeat. Nihilominus tamen etiam ille modus non videretur probandus.

8. Dices, quidquid sit de illa actione transeunte, etiam illa ponatur, hoc modo sufficienter declarari, quomodo sola voluntas sit sufficiens principium motus localis in corpore mediante suo actu, sine alia potentia media, quia ipsa actus est veluti efficax impetus corpus impellens. Respondeo, ita quidem esse illam sententiam explicandam, vt aliquam verisimilitudinem habeat. Nihilominus tamen etiam ille modus non videretur probandus.

9. Dices, quidquid sit de illa actione transeunte, etiam illa ponatur, hoc modo sufficienter declarari, quomodo sola voluntas sit sufficiens principium motus localis in corpore mediante suo actu, sine alia potentia media, quia ipsa actus est veluti efficax impetus corpus impellens. Respondeo, ita quidem esse illam sententiam explicandam, vt aliquam verisimilitudinem habeat. Nihilominus tamen etiam ille modus non videretur probandus.

Potentiarum distinctio ex quibus actibus desumenda.

6. Aliorum responsio.

Confutatio.

Principium agendi semper distinguitur ab actione.

7. Eiusdem.

Prima eius impugnatio.

Suarez de Angelis.



Secunda. primo quia multo facilius intelligitur habere Angelum quandam potentiam innatam impulsivam corporis, (loquendo dicto modo) & subordinatam intellectui, & voluntati, quam attribueri illam vim impulsivam actui immanenti voluntatis, quia isti actus ex natura sua, non ordinantur ad efficiendum obiectum suum in esse reali, sicut potentia motiva ad efficiendum motum. Secundo quia actus immanentes non sunt effectus extra ipsas potentias, teste Aristotel. 1. *Ethicor. capit. 7. & 9. Metaphyl. capit. 9.* vtrique per se, & tanquam propria externarum actionum, seu effectuum, à qua generali regula nulla est ratio excipiendi solum actum voluntatis angelicæ. Tertio quia alias eadem efficiencia tribui posset actui intellectus, vel vtrique simul: hoc autem ultimum videtur superuacaneum, & parum verisimile, inter actus vero intellectus, & voluntatis, vix potest probabilis ratio differentie assignari. Cur enim volitio magis continet virtutem per se faciendi motum, quam apprehensio per volitionem applicatam. Cum ergo neutrius possit ratio reddi, verisimilius creditur motum immediate fieri à potentia exequente applicata, & directa per intellectum, & voluntatem.

Secunda.

Tertia.

8. Ad primam contraria sententia argumentum in num. 2.

Ad primam ergo argumentum continuae sententiae respondetur, Angelum, ut est in gradu cognoscitivum, tantum habere duas potentias, scilicet intellectum, & voluntatem, & in hoc distingui ab anima rationali, quæ plures habet potentias in illo ordine, quia non est pure intellectualis, sicut Angelus. Nihilominus tamen, quia Angelus non tantum est potens ad cognoscendum, & amandum, sed etiam ad movendum se, & alia, ideo etiam speciali potentia motiva indiget, quæ non est extra rationem creaturæ pure intellectualis, quia etiam est potentia spiritalis, & intellectui, & voluntati subordinata, quoniam secundum communem rationem suam non sequatur ex gradu intellectuali, ut sic, sed sub ratione generaliore: nimirum, quatenus est essentia, seu natura quædam, quæ potest esse principium principale effectuum motus localis: nam inde habet, ut ab illa resultet instrumentum illi motui accommodatum. Quia vero in Angelo hæc ratio principij cum gradu intellectuali coniuncta est: ideo etiam illa potentia motiva in Angelo altioris ordinis est, & aliquomodo gradum illum participat quatenus potentij intellectualibus subordinatur.

9. Ad secundam.

Ad secundum negatur antecedens. Quia præter intellectum, & voluntatem, necessaria est potentia executiva motus, propter rationes factas, & quia nec intellectus, nec voluntas per se ordinatur ad efficiendum motum, sed ad cognoscendum verum, & amandum bonum, & sub hac ratione intellectus apprehendit motum, & voluntas amat, seu vult illum. Quod autem motus ille sit factibilis ab ipsomet volente est ipsi volitioni quasi accidentarium, & ideo non sufficit, ut voluntas per se possit exequi quod vult: alias etiam per se sufficeret ad exequendum actum credendi, quando illum vult, & voluntas humana esset sufficiens ad exequendum motum manus, aut calami, quando illum vult. Vnde ad tertium negatur antecedens, quia etiam in homine præter intellectum, & voluntatem, necessaria est potentia executiva motus, ut est communior sententia, ut in tractatu de Anima videbimus.

Ad tertiam.

10. Ad replicam ibid.

Ad replicam vero, quæ sit ista nostra sententia supposita, negatur consequentia, nimirum, voluntatem, & potentiam motivam debere esse unitas in Angelo, id est, esse indistinctas, eo quod Angelus perfectior sit, quam homo. Hæc enim illatio nimis generalis est, alioquin etiam posset inferri intellectum, & voluntatem in Angelo non esse po-

tentias distinctas. Illud ergo principium ad summum habet locum, quando distinctio inuenta inferiori oritur ex peculiari conditione, & imperfectione eius, vel è conuerso, quando in superiori natura inuenitur aliqua ratio formalis obiecti, in qua possint duæ inferiores facultates in vna superiori vni. At vero in presenti voluntas, & potentia motiva non distinguuntur per se primo ex rationibus, vel imperfectionibus particularibus in argumentis tactis, sed ex proprijs obiectis, seu actibus, & effectibus, ad quos ordinatur, quæ distinctionis ratio in Angelo etiam subsistit, nec in eo inuenitur ex parte obiecti, seu termini aliqua conuenientia, seu formalis unitas, sub qua possint illæ duæ facultates in vnam coalescere. Vnde cum alias sint in natura finita, & capaci compositionis ex essentia, & potentij, & alioquin ipsæ etiam potentie limitatæ sint, & finitæ, nullum superest principium, vnde colligamus has facultates, quæ in anima distinctæ sunt, in Angelo esse indistinctas.

## CAPVT XXX.

*Vtrum Angelus propinquitatem ad mobile requirat, ut illud mouere possit.*

Hæc quaestio de omni motore à Philosophis tractatur: tamen quia peculiarem difficultatem potest habere in Angelis, & quia ad maiorem declarationem eorum, quæ de illorum motu, & loco diximus, conferre potest, ideo illam non omnino praetermittere visum est. Aliqui ergo ex Theologis dixerunt non requirere Angelum presentiam, vel propinquitatem ad mobile, ut illud moueat immediate per seipsum. Ita tenuit Heruzus tract. de motu Angelis, q. 1. ad 3. & in 1. dist. 37. Vbi idem tenet Gabi. artic. 3. dub. 1. cum Ocham ibidem. Qui tam de Angelis quam de agentibus corporalibus loquuntur, sed præcipue de Angelis, quia per voluntatem mouent, quæ de se indifferens est ad remotum, & propinquum. Et quoad hoc multum etiam fauet huic sententiae Scot. fauet etiam Magist. in 2. dist. 8. capit. vlt. dicens daemones non ingredi corpora oblectorum secundum substantiam, sed tantum secundum effectum. Vbi Durand. quæst. 3. idem docet, sed loquitur consequenter ad sententiam, quam de loco Angelis tradiderat. De qua incertum est an cum Heruzo senserit, vel posuerit Angelum semper vbiq; presentem: nam iuxta hunc posteriorem sensum non negat Angelum esse, vbi operatur, sed potius affirmat esse simul vbiunque operari potest.

Fundamenta huius sententiae ex parte innuata sunt. Primum est, quia etiam in corporibus non semper est necessaria propinquitas inter mouens, & motum, ut varijs exemplis, & argumentis aliqui Philosophi ostendere conantur, ut late retulim. Metaphyl. disputat. 18. sect. 8. Ergo à fortiori id concedendum est Angelis. Secundum, quia Angeli mouent per voluntatem, quæ non minus potest velle obiectum remotum, quam propinquum. Tertium, quia alias oporteret Angelum esse presentem in toto corpore, quod mouet, ac subinde Angelum mouentem primum calum mobile esse in toto illo, quod est incredibile, alias perfectiores Angeli possent simul esse in celo, & in terra, contra Damasceni, & omnium sententiam. Quartum, quia saltem inter Angelos non videtur necessaria hæc propinquitas: nam ad locutionem non est necessaria, etiam si perfectior sit, ut supra dictum est. Item quia Angelus superior potest quasi ligare Angelum inferiorem sicut loco, & ibi illum detinere, etiam si inde discedat. Cur enim ad detinendum illum